DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE DIÆTA,

Quam
FAVENTE DEO OPTIMO MAXIMO,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORVSSIAE, MARCHIONE BRANDENBURGICO, CETERA,
GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,
IN ACADEMIA FRIDERICIANA,
SUB PRÆSIDIO
DN. GEORGII ERNESTI STAHL,
MED. D. ET PROFESS. PUBL. ORDINAR.
Dn. Patroni, Præceptoris ac Promotoris sui omni obseruantiæ cultu suspiciendi,
PRO GRADU DOCTORIS
obtinendo,
die Aug. A. MDCCVIII. horis ante & pomeridianis.
IN AVDITORIO MAJORI,
Publicæ Eruditorum Disquisitioni exponet

JUSTUS TOTTINUS,
Mitaviâ-Curlandus.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
LITERIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYP.

VIRIS

Conspicua dignitate, Salubriore Doctrinâ, ac meritorum in Rempub. gloria eminentibus.

Magnifico, Summe & Plurimum Reverendis, Nobilissimis, Consultissimis atque Doctissimis

DN. M. JOANNI ADOLPHO Hollenhagen/

Ecclesiarum in Curlandiæ & Semigalliæ, Ducatibus Superintendenti Generali & ad ædem S. S. Trinit. quæ Mitaviæ est, Pastori longe meritissimo, fidelissimo.

DN. JOANNI LUTHERO Windhorst/

Ecclesiæ Candaviensis Pastori Teutonico ut vigilantissimo, ita meritissimo.

DN. M. WILHELMO Steffens/

Ecclesiæ Mitaviensis Letticæ Diacono meritissimo.

DN. CHRISTOPHORO ANTHONIO Ziegenhorn/

Dicasterii Ducalis Advocato Ordinario Celeberrimo.

DN. ANTHONIO Klötz/

Ejusdem Dicasterii Advocato Ordinario, & Civitatis Mitaviensis Secretario Dignissimo.

DOMINIS PATRONO, AVUNCULO AC AFFINIBUS Summo honore, jugi observantia & perpetuo amore prosequendis.

Inauguralem hanc Disputationem in signum humillimæ reverentiæ, debitæ submissionis & sinceri amoris, cum voto perennis Prosperitatis, & Successuum Exoptatissimorum eo, quo decet, animi cultu & obsequio

dicat atque consecrat

JUSTUS TOTTINUS.





PROOEMIUM.

PErvulgatum eſt Germanorum proverbium: Wer alle dinge wůſte / kőnte bald reich werden: Quod quidem uti non tam de ſcientia rerum extrà omnem ordinem ditantium, Chryſopœia, aut theſaurorum abſconditorum revelatione, intelligunt; ſed ſimpliciùs, de qualicunque etiam opportunitatis & utilitatis, tempeſtive innoteſcente præſentia, aut proximâ potentia; Ita applicant etiam, ſeu transferunt veluti ad alias res imprimis utiles, tum etiam noxias, adeò ut etiam ad ipſum negotium, quid Sanitati commodum aut noxium ſit, hoc idem applicare minime dubitent: tanquam innuentes, ſi quis ſciret, quid maximè profuturum ſit ſanitati, facilè illi operam daturum eſſe; & viciſſim, quod cavendum ſciret, vitaturum. Quamvis autem in genuino ſenſu & vocum acceptione, locutio hæc proverbialis, omnimodo rectiſſimè ſeſe habeat; nempe quod ſub hujusmodi conditione talis tanquam certæ ſcientiæ, utique aliquis *poſſet* ſatis commodè talibus rebus potiri; non poteſt tamen ex eo æque ſubſumptio atque applicatio fieri, etiam ad ipſum factum, quod, inquam, propterea, imò tanquam hoc ipſo, qualicunque certitudine ſperatorum hujusmo-

di commodorum actualis possessio, nempe in ipsis terminis locutionum usitatarum; Wer alles dergleichen wüste/ würde oder müste deshalben reich/ gesund / ohnbeschadet/ seyn. Quamvis enim hæ locutiones de probabili, nonsolum potentia, sed omnino etiam vera potestate secundum legitimum ordinem fiendi, verissimæ sint, & plane recte sese habeant; quo minus tamen absolute perpetuæ veritatis compotes evadant, efficit imprimis infaustum illud Intellectus atque Voluntatis dissidium: dum scilicet multa quidem bona aut utilia esse, mortales passim satis certo sciunt & intelligunt; interim non propterea simpliciter animum illis rebus submittunt, ut easdem vero atque recto ordine impetrare cordi habeant, & vere ita uti convenit, ad illas pertendant. Non commodum nobis est, aut permittit temporis nostri opportunitas, circa distinctiones harum rerum prolixius argutari; cum quilibet discernendi compos utique facile comprehendat, quod non tam circa ipsum finem Voluntas Intellectui refragetur, quin satis cito imo vero serio, velit, quæ satis certo atque indubitate utilia ille agnoscit: sed quod vere universa difficultas proprie occupetur in mediorum ad finem talem necessariorum prompta atque seria approbatione, & vere alacriter voluntaria susceptione. Comprehendit rem uti solet brevibus verbis admodum nervose Seneca primis lineis Lib. de Vita Beata hoc ipsum maxime indicans: *Vivere beatè omnes quidem velle, sed ad pervidendum, quid beatam vitam efficiat, caligare:* & recte penitus in subsequentibus, *decernendum esse*, asseverat, *non solum quò, sed etiam quâ tendamus, in beatæ vitæ negotio.*

gotio; Utrumque velut dilucidatione indigere, imo verò approbatione, vix cuiquam dubium esse potest: in bonæ *sanitatis* complexu, aliquid horum perplexum esse, plerique facile consenserint; utrumque, vix pauci, primo statim intuitu, confitebuntur. Habere se verò ita rem ipsam, tunc non poterunt dissentire, quando reminiscentur, quantus passim hominum numerus de ipsa Sanitate adeo incommodum atque male fundatum conceptum sibi fingant, ut nihil justum, æquum, æquabile atque moderatum animo proponant, sed omnia summa, imo verius omnia extrema: Ferream, imo saxeam, sanitatis constitutionem & corporis non tam durationem, quam duritiem: quæ quaslibet intemperantiæ & intemperiei ataxias, inconcusso, imo insuperabili robore aspernetur, & non aliter, quam scopulus marinum fluctum, facile retundat. Quemadmodum autem etiam hæc ipsa res, exquisitiore æstimatione facile agnoscitur, longè plurimum insistere *mediorum* justorum sanitatis ignorantiæ, aut verius eorundem fastidio: ita nihil certe mirum esse debet, si in hac etiam parte passim aliud fiat, quam quod convenit, non magis Intellectus, quam perversæ Voluntatis vitio, cui, ut jam dudum Plinius conqueritur, *nihil ita, uti rerum naturæ, placet.* Hujus rei eximium exemplar cum sese nobis offerat maxime in mediorum ad conservandam sanitatem directe necessariorum, familiari neglectu, imo vero contemptu, tanquam illa, imprimis cum medicinæ suppetat subsidium, ut supervacua, impune aspernari esset integrum, eumque errorem multorum hominum animis satis profunde inhærere, multiplici experimento perspectum habeam, placuit tanto magis thematis INAUGURALIS loco,

DIÆTÆ *ad conservandam & restaurandam sanitatem*, *necessarium* USUM, declarare.

Cui coepto, ut DEUS omnis ordinis atque temperantiæ fons & Author, clementissime adspiret, meque Voti mei compotem faciat, est quod humillimo animo ipsum exoro.

Th. I.

QUamlibet DIÆTA, in *generaliore* hujus nominis acceptione, complectatur justum ordinem omnium rerum *Non-naturalium*; quæ nempe non quidem simpliciter ad *existentiam*, nedum *essentiam*, bene vero ad *subsistentiam*, *conservationem* atque *durationem* corporis, inserviunt: tamen usitatior propemodum, certè familiarior, ejusdem significatus, non tam omnes promiscuè, quam veluti Κυρίως, ASSUMENDA, & quæ ad horum felicem usum pertinent, tanquam magis propriè, aut certè magis propè, comprehendit: ut videlicet maxime omnium, quando *Diætæ* mentio incidit, primò mox intelligatur, *justum regimen* circà *quantitatem*, *qualitatem*, *ordinem* atque *tempus*, *ciborum & potuum*: & inde demum, tanquam per bonam consequentiam solum, habitus atque proportio, ad *assumpta motus & quietis*, *excretionum* tempestivarum, quin etiam *somni* & *vigiliarum*: Imò familiariùs etiam fere *frigoris* aut *caloris* ordo, magis in comparatione ad plenum aut vacuum corpus, quàm in simpliciori sui directa energia in corpus, in hanc considerationem trahantur. Quamlibet autem re vera universa illa generalior comprehensio omnium rerum *non-naturalium*, justam contemplationem atque ordinationem optime mereatur; quia tamen amplius spatium, tàm temporis, quàm deductionis requirit illarum solertior evolutio, quam nostræ rationes permittunt: manebimus propterea in illa arctioris ambitus acceptione, nempe *Assumendorum* imprimis commemoratione atque commendatione: reliquarum

rum autem ad hæc ipſa maximè *reflexa* conſideratione, quatenus nempe *Aſſumendorum* maximè proportionibus, æquari debeant, ac *ſubordinari.*

II.

Neque tamen etiam hoc ipſo ſenſu arctiore ſumptas res *non-naturales*, & maxime omnium ipſa *aſſumenda*, minutim atque ſingulatim pertractare, nobis proponimus; quaſi nempe non ſolùm quicquid usquam ullo modo, ullo reſpectu, ulla menſura circa corporis nutritionem tolerari poteſt, tanquam cenſu inſtituto, ad numerum exigere, in nos ſuſcipiamus: nedum ut etiam quoquo modo *noxiorum*, indicem proferre, conſtitutum habeamus: ſed ſatis nobis, imo abunde, erit, ſi magis *poſitivè*, quæ verius atque ſincerius laudari, aut juxta ipſam veritatem reprobari, mereantur, declaremus. Tanto magis, cum etiam ferè ſufficere arbitremur, ſi de illis maximè ſermonem inſtituamus, quæ & *poſſunt* facilius, & *ſolent* proinde etiam communius, & à plurimis mortalium, in uſus tales peti atque adhiberi: præ aliis, quæ non ſolum conſveto uſu rariora, ſed omnino etiam paratu ac impetratu difficiliora, magis ſecundum *phantaſiæ* incontinentiam, quam ullam ſperatam *utilitatem*, nedum *neceſſitatem*, à paucioribus, interdum, admittuntur.

III.

Cum autem ea, quæ per os aſſumuntur, velut omnium maxime in ipſum ſenſum incurrant; imo etiam, ſi quidem impetus inſolitus præcipuè repentinus alienarum rerum, Naturæ energiam graviter exaſperet, revera maxime citò & præſentisſime œconomiam vitalium motuum perturbent; placet proinde ab his initium facere, & de Diæta circa CIBORUM aſſumptionem, primo loco verba facere. CIBI conſiderantur merito, vel in ordine ad *ſalutarem uſum*; vel ad palatum & *guſtus jucunditatem*. Priore intuitu, optimus eſt omnium, & Naturæ non ſolum convenientisſimus, ſed etiam ſufficientiſſimus, *victus ſimplicisſimus*; nempe, qui non tam ad quidquam aliud, quam *nutritionem* corporis, optimè

cede-

cedere possit: i. e. ejusmodi partibus constet, quæ ante omnia ad sangvinem, tum etiam reliquas partes corporis, constituendas atque sustentandas, debitam materiam suppeditare valeant. Hac de re in nostratibus quidem, jam pridem, notis, *Europæis* & *Asiaticis* cis Euphratem, regionibus notissima pro hoc usu fuerunt semper FRUMENTA, *triticum*, *Oryza*, *far*, *secale*, *milium*, *hordeum*; Imo etiam *lac*; ante omnia *vaccinum*, deinde etiam *caprillum*, & *ovillum*. Et hoc apud gentes, quas vulgo cultiores seu moratiores nominant. Apud alias interim, tam antiquis jam temporibus memoratum aliquid est de *Ichtyophagis*, quales recentiora tempora manifestiùs aperuerunt, piscibus exsiccatis, loco *panis* non solum, sed omnium etiam *aliorum ciborum*, utentes; sicut etiam *Africanos* quosdam nullis hujusmodi *frugibus*, sed *radicibus* peculiaribus, farinæ, & inde panis loco uti, eædem recentiores navigationes detexerunt: & similia de *Americanis* variis gentibus, experientia comprehenderunt. Sicut autem fruges illas, pro alimento humano, etiam *sufficere* posse, docent exempla hominum, solo *pane & aqua* diu sustentatorum: Ita est totum negotium tantò evidentius, quando etiam adhuc deteriore victu, *marinis exsiccatis* piscibus, & *crudis* etiam ita vorandis, remotiorum *Lapponum* totæ gentes victitant: vix alio, quàm interdum qualiscunque *ferinæ*, aut recentis etiam piscis, frusto interposito, qualia tamen singula & omnia *frugum* usu deteriora esse, nemo facile dubitaverit.

IV.

Quid, quod *fruges*, etiam solas, ad hominis victum sufficere posse, non solum exempla multorum *brutorum*, etiam *robustissimorum* demonstrent, sed, cum hæc similitudo forte minus æqua videri posset, videntur certe hoc tanto melius confirmare, multi *infantes*, qui nuda pulte ex *aqua & farina*, etiam citra *lactis* materni usum, sed mortuis matribus, *aquam* etiam potantes, nihilosecius non *vitam* solum conservent, sed *commodè* etiam, & sine justa vera ulla querela. Cœterum, cum utique hic victus non facile reperturus esset assensum in-

ter

ter valde diversam jam velut universalem *consvetudinem*; potest utique facile tolerari etiam aliorum ferculorum varietas: ubi ante omnia in considerationem veniunt CARNES. Non equidem criticorum historicorum scrinia excutiemus, *quando* & *quantum*, *carnium* esus primo cœpisse credi possit? Cum utique oblatio *Abelis*, ovibus pascendis invigilantis, verisimiliter de grege facta, & ad morem propemodum omnium victimarum (specialissimis *holocaustis* exceptis) *participationem* aliquam offerentis involverit: potest certe nobis sufficere, quod ad minimum post diluvium, & cœperit statim, & ita continuaverit *carnium usus*; ut hinc etiam sat exemplorum colligi possit, huic rei testimonium perhibentium. Quamvis etiam ante diluvium, ipsi Noacho editum mandatum, de pluribus è *mundorum* animalium cœtu, quam *immundorum*, assumendis, jam aliquid altius innuere videatur: sane postquam ultima determinatio *mundorum* animalium, nulli alii velut objecto directe superstructa esse videtur, quam usui ad *esum* &c.

V.

Sicut autem *carnium* etiam, ingens utiquè est varietas; nempè, primò omnium, sub differentia animalium, aliorum *aquatilium*, aliorum *terrestrium*: (ubi à nostro foro facile secludimus ineptias, quæ *piscibus carnes* denegant, ab omnibus *physicis* æquè, ac *appellativis* rationibus, abeuntes:) Deinde sub diversitate *spissiorum* ac *tenaciorum*, & ex adverso *teneriorum* atque mitiorum; Ita valet utiquè hæc ratio longe plurimum, ad minimum *adsuetudinis* intuitu, si maximè non æquè absoluto respectu: (quandoquidem etiam *Samojedarum* infantes ipsos, non solum *equinâ*, sed *crudâ* insuper carne, quam mordicùs à membris mactatarum bestiarum avellant, satis commode vivere, & aliàs fide dignos, & ipsos αὐτόπτας, testes habemus: præter illud, quod de *Capitis bonæ spei* accolis, vulgo Hotten-Dotten/ in omnibus itinerariis confirmatur) utpote quo etiam varia talia, & primo usu, tolerabilia, & longo, familiaria, redduntur.

VI.

Sicut autem non ſolum *duriorum*, ſed etiam ferè quarumlibet carnium, adhuc *crudarum*, uſus & eſus, in juſtam *Diætam* minimè venire poteſt; neque huc iterum trahi meretur, ſive *Tartarorum* adſvetudo, ad *equinas* carnes, calore equi curſoris obiter concalefactas: neque Inferiorum noſtrorum Saxonum oblectamentum, in carnibus ſuillis *non coctis*, ſed tamen *ſale* atquè *fumo* penetratis, avide comedendis: ubi etiam *adſvetudo* non poſtremam partem ſibi vendicat: Ita eſt tamen univerſæ propemodum *carnis* opprobrium, non poſtremum, quod ferè quantumcunque ſenſibiliter concuſſa ſanitatis integritate, Natura humana abhorrere ſentiatur à carnium uſu, quin etiam ſub quacunque perſvaſione aſſumptas, ſenſibiliter ægriùs tolerare, & variis inſolitis ventriculi motibus, ad aſſumptarum eliſionem denuò veluti reſpectare. Quæ certè res in ipſis *acutis*, quàm ſœpiſſimè peſſimi eſt exempli; quando nempè patientibus multiplici ſvaſu obtruſa *juſcula* non ſolum ſimplicia, ſed etiam ſaturate *gelatinoſa*, vulgò Krafft-Suppen/ variis cardialgiarum ſchematibus, tot atquè tanta incommoda incutiunt, ut Medicus harum rerum ignarus, æquè atquè omnes adſiſtentes, illas, ut appellant, cordis anxietates, abſurdè directæ *malignitati* aſſignantes, non posſint non variis modis aberrare: interim autem re verâ etiam neceſſarius tranquillior ſucceſſus & exitus univerſi morbi, ab hujusmodi ataxia adventitiâ, magis magisque gravius pervertitur.

VII.

Interim eſt utique etiam circà ipſam hanc præſentem rem, equidem in genere certum, quod *conſvetudo* plurimum omninò valeat, imò posſit: interim tamen, quando re verà undecunque ſenſibiliter pejus habere, aut à toleratis morbis non ſatis ſincerè ad priſtinum vigorem reverti contingit corporis œconomiam, paſſim non exiguam conſiderationem ſibi depoſcat hæc veluti generalis circumſtantia, quod tali tempore communisſimè *carnium* etiam *in genere impatiens* ſit Natura.

VIII. Quem-

VIII.

Quemadmodum autem, ubi hæc circumſtantia *faſtidii* carnium inſoliti, ſeſe manifeſtat; aut, cum qualicunque etiam appetitu, pro more priſtino, adſumptas carnes, ſenſibilis *Dysphoria* ſubſequitur, tempeſtivam, circà harum rerum continuationem, circúmſpectionem re verà ſvadet: ita eſt tamen etiam locus prudenti æquè, ac peritæ diſcretioni, quid verè in his negotiis ſeſe prodat, & ipſis quaſi ſenſibus offerat, ne familiare illud ſcandalum occaſionem inde ſumat, ut circà res minoris momenti Medicus vehementer commoveatur: circà veriores autem longè majoris ponderis, cœcutiat, aut conniveat, & inanibus auguriis, ejusmodi rebus, partim emergentia, partim impendentia damna imputet & aſſignet, quæ earundem nullam habeant culpam: veriores interim talium rerum cauſas æquè atque machinas, ne intelligere quidem, nedum avertere meminerit. Ita enim notiſſima ſunt exempla, ubi ad *duriorem* victum, non ſolum tolerandum, ſed etiam tanquam cum oblectamento appetendum, *adſuefactis*, ſi, certè immatura ſapientia, talis tanquam *abſolutè malus*, diſſvadeatur, & ſimpliciter *mollis* ſubſtituatur, ejusmodi ſubjectis eo ipſo adeò male conſulatur, ut illa hoc ipſo demum in *cruditates*, quas vocant, ventriculi, & flatulentas ventriculi ac inteſtinorum inquietudines, recta via procedant, imò quaſi præcipites agantur.

IX.

Quæ certè res adeò non exigui eſt momenti, aut ſingularis, adeoque fortè rarioris, eventus, ut potiùs nimium quam familiaria occurrant ejus rei exempla, tum quando duriori eduliorum generi aſſvefacti, *Saxones inferiores*, *Weſtphali*, *Pomerani*, & ulteriores *Maris Baltici* accolæ, ac vicini, inter quos etiam *Curlandiam* meam Patriam laudare poſſum, ad *molliores* victus ſimpliciter tranſitum faciunt: tum quando & *victui duriori*, & *motibus operoſioribus* diu adſvefacti, paratis ita otioſiùs & lautiùs vivendi mediis, huic rei indulgent. Ubi nempè utriusque talibus, certa impendet valetudinis ſuæ in

 pejus

pejus mutatio, & ordinariè à primarum viarum incommodis futurarum ampliorum turbarum exordium capiens.

X.

Quâ videlicet in re, ut hoc etiam præliminari quasi loco, quod ajunt, anticipando, præcipiamus, nulla est certior regula, quam *appetitus* constantiam & *euphoriæ* consensum, inter se conjungere, aut certè comparare; imò in qualitercunque vacillantibus rebus, horum etiam velut experimenta capessere, & secundùm illa, ante omnia tamen *euphoriæ*, regimen ordinare. Ubi v. g. & sanos allegare possumus, qui cœnare desvefacti, si vesperi etiam modicum, inprimis carnium, assumant, inquietam inde noctem sentiant: quoties autem de gratis sibi *durioribus* cibis, ut *pernâ*, fumo & sale condita, quantum aliàs in prandio solent, cœnæ quoque loco comedant, nullam usquam inde alterationem persentiscant: sed etiam modo non quotidiana sint similium exempla, qui in *chronicè* dubia valetudine, præmaturè ad mollem Diætam *adstricti*, ab hac ipsa pejus habeant, constante ipsis adhuc ad *duriora* appetitu, & sola speculatione Medici damnando viso: quem interim ipsa sensibilis *euphoria* excusat, molliorum autem illorum pariter aperta *Dysphoria*, & ipsius ab istis appetitus alienatio, longè certiùs illa damnat.

XI.

Quid, quod in hoc negotio etiam ipse adeò *panis*, non postremas partes sibi vendicet; dum passim inveniuntur, non solum ventriculi, quos mollis, *triticeus*, panis, minimè saturet: sed etiam ipsis nauseam, & mucilaginosas cruditates procreet: unde etiam longe frequentior quasi scaturigo sputi in os confluens, cùm fastidioso appetitus lapsu, inflatione ventriculi, ructibus nidorosis, aut certè insipidis, & nihil acidulis, pullulant. Meminimus hujusmodi casus, in generoso Viro, habitus & texturæ corporis non æquè robustæ, sed verius tenerioris; qui tamen cibis plane mollibus non solitus erat oblectari. Cum autem ipsi placuisset strictiorem quandam Diætæ rationem subire, & inprimis *aquam* pro potu ordinario expe-

periri, visum est simul, etiam *secalinum* panem dimittere, & solo triticeo uti, qui minore quantitate plus nutrire judicabatur. Persentiscebat hinc maturè, satis exquisita incommoda post pastum, & inprimis tanquam conclusam quandam flatulentiam, minime perfunctorie molestam, quæ etiam reliquam concoctionem tanquam manifestius turbare sentiebatur, imò appetitum obtundere; Certissimè quidem *physico-morali* efficacia, dum quasi constanter & indubiè emicans, insignis illa post pastum molestia, qualemcunque metum assumptionis tempore quasi præfigurans, hoc ipso quadantenus aversari faceret totum edendi appetitum. Hariolabatur veluti ipse Patiens, quâ est prudentiâ, quod hæc mutatio diætæ, & nominatim panis, quia diutiùs jam aqua sine eximiis hujusmodi incommodis usus erat, in culpa esse possit: cumque ea in re consentiendi rationem sufficientem haberemus, & antequam alias medicationes tentaret, simpliciter mutationem panis *triticei* cum usitato *secalino* domestico, rectè fermentato, iterum per plusculos dies usurpare svaderemus, evanescentibns omnibus illis molestiis, sine inutilibus aliis artificiis, integritati & appetitus, & justæ concoctionis, restitutus est. Sicuti re vera usus panis *secalini*, non solùm *fermentando*, ut gratum acorem spiret, excitati, sed etiam *sale* ad gratum saporem conditi, non solum passim etiam delicatioribus prudentioribus, ad minimum pro alterno usu cum triticeo, placere notatur, sed etiam nunquam certè, nisi insigni abundantiâ, & velut abusu, ullam molestiam creare. Cœterum, quod subsidium, victus quoquo modo *durior*, etiam exspectet à subordinatione *motus* corporis vegetioris, indicabimus adhuc in sequentibus.

XII.

Valet hic certè etiam merito, jam ab antiquissimis temporibus per Hippocratem annotata *adsvetudo firmiorum* quoque alimentorum; non solum apud ipsos sanos, quorum subinde vox illa auditur: Sie können sic mit dem weichen Kalb-Lamm-jungen Hüner-Fleisch/ Suppen-Werck/ Back-Werck/

 nicht

nicht vertragen / sondern achten ein Stück gut Rindfleisch/Schincken / Stock-Fisch / Sauer-Kraut ꝛc. höher / als alles dergleichen ꝛc. sed etiam ipsis adeo ægris, chronicas inprimis molestias sentientibus. imo subinde concurrentibus ipsis incommode mollioris victus occasionibus. Unde circa has res locum habet Medici prudentia. Placet historiam de hac re breviter memorare. Vir nobilis quinquagenario major, hernia scrotali valdè incommodè habens, animo de reliquo & corpore sic satis firmus, auscultat svasui amicorum & consvetis pollicitationibus vagabundi Herniotomi, ut sectioni se submitteret. Imperitus autem operator exsecat cum testiculo & vaginali illo sacculo, etiam frustum intestini. Ubi quid perfecerit persentiscit, causatus in oppido, ê cujus nundinis ad patientem in pagum propinquum exierat, petenda sibi quædam, relinquit mature Patientem non solum, sed totum illum districtum. Emanente hoc, & jam malum Patienti & familiaribus præsagiente animo, advocatus ex urbe Chirurgus ordinarius, religata parte, reperit liquidas fœces, & intestinum resectum: Vocantur eximii nominis Medici tres; indicant non periculum solum, sed tanquam certum damnum vitæ, primo conjugi & agnatis, tandem etiam, urgenti declarationem, Patienti, piæ maxime animi præparationis ergò. Præscribunt autem mollem atque tenuem victum. Patiens animo satis firmô exspectat exitum, Medici, ut conclamata spe, inprimis longius habitantes, discedunt; tertium, virum etiam alias præsentis animi nomine suo tempore notum, D. Keilingium, urget Patiens quæstione, annon sibi permitti possit, ut gratioribus sibi cibis *durioribus* uteretur; argumento etiam illo, si utique moriendum sibi sit, hoc parum fore quod in dubium adduci debeat: consentit Medicus. Parari sibi jubet Patiens patinam brassicæ muriaticæ cum botulo asso, &, tanquam famelicus, intemperanter devorat; cum jam ultra quatuor dies valdê parum interquievisset, post hanc saturationem ita refectus & alacris, ut adstantes etiam mente vacillare suspicarentur, petit silentium, quia dormiendi aliquod desiderium
per-

perſentiſceret: obdormiſcit, & magis magisque profunde quidem, ſed tamen cum libera & æquali reſpiratione, & adeo uſitato ſibi ſomno ſimili, ut etiam antiquo ſuo more ſterteret. Expergefactus, poſt aliquot horas, mirè alacris, religat ipſe locum ſectionis & inſpicit, quantum poteſt accuratius, utque obſervationis ſuæ certior fieret, vocari etiam Chirurgum jubet, qui e domo huc usque non diſceſſerat. Deprehendit hic quoque, perſpicaci inſpectione atque viſitatione, quod inteſtinum labio vulneris agglutinatum cum eo coaleſcat. Breviter, abſolvitur ſucceſive hic coalitus cum labiis vulneris ingvinalis, manet inpoſterum inteſtini cavitas aperta, & fecibus per hunc locum exitus, ut patiens poſt octo demum ab eo tempore annos vitam cum morte commutârit.

XIII.

Poſt *cibos* proxima utique eſt ratio POTUS. Conjecit hujus antiquiorem ſimplicitatem, conſvetudo, imò licentia poſteritatis, in varie turbulentos ſucceſſus. Cum enim Veteribus, à quibus aliqua circà medicas intentiones monumenta ad nos pervenerunt, vel ſimplex *aqua*, vel ſimpliciter cum alimentoſis leviter *decocta*, vel *lac*, inprimis *tenue*, vel denique *vinum*, aut *hydromel* ſeu *mulſum*, in uſu eſſent, proceſſit ſive poſterorum, ſive ad minimum aliorum, curioſitas, (ſine dubio e fortuita obſervatione) ad *fermenteſcentes* magis, quam *fermentatos*, potus, e granorum cenſu, nempe vulgo dictas *cerevifias*. Meritò dico *cerevifias*; cum inſignis illa *varietas* horum potuum, quam maxime varie ſeſe habens ad tolerantiam hominum, notisſima ſit: Incommoda quæ hæc potus genera involvunt, ſunt antè omnia, partim manifeſtò *ventriculi* & *primarum viarum* perturbationes, *flatulentæ*, eoque ipſo *tenſivæ*, *contentioſæ*, *ſpaſticæ*, *torminoſæ*: partim *caput* turbantes, *gravantes*, & *obnubilantes*, *ſiccitatem oris*, *ardorem faucium*, *ſitim* ulteriorem, *ardorem* totius corporis, *reſpirationis anguſtias*, inprimis tamen primo loco dictas *flatulentas* illas, *tenſivas* formantes.

XIV. Jam,

XIV.

Jam, cum utique *ciborum* assumptio, inprimis magis magisque *solidiorum*, etiam sufficientem *dilutionem* postulet; non solum pro decente ipsorum resolutione, sed etiam expedita distributione, imo etiam secretionibus & excretionibus debitis recte absolvendis: non inanis certe est consideratio, quid huic scopo commodissime omnium adhiberi possit, imo debeat? Tanto magis, cum quotidiana propemodum occurrant exempla, quod, de reliquo minimè infirmos, sed satis facilè tolerabilibus laboribus pares, solius *potûs* minus congruentis molestia, sensibiliter turbare, atque prægravare valeat. Quod itaque hanc etiam rem concernit, sunt utique præcipuæ considerationis talia potulenta, quæ quidem *fermentationem* cibariam moderatè promovere potiùs, quam retundere possint: interim nec intempestivè augere, nec etiam alienis illis, inprimis *inebriativis*, aut *narcoticis*, aut *inviscantibus*, incommodis, perturbare valeant.

XV.

Secundùm has intentiones, sicut equidem *Aqua, dilutioni* eximiè satisfacit: adeoque etiam *secretiones* & *excretiones*, non solum non impedit, sed etiam, nempè è materiæ nudâ ratione, potiùs promovet: eoque ipso intuitu adsvetis, aut veriùs forte, *non aliter adsvefactis*, satis commode quadrat: ita est tamen rationi satis consentaneum, quod omninò etiam aqua, *alimentaribus* particulis etiam aliis jamtum sensibiliter imbuta, veluti propius, disposita sit ad magis acceptabilem nutritioni corporis & quicquid ad illam tendit, paratiorem conditionem.

XVI.

Hoc ipso intuitn certè primum propemodum locum sibi vendicat, ipsum *Lac.* Quod, cum & solidescentis nutrimenti, & satis sufficientis diluentis atque potulenti, vices explere possit, non ineptè certè propterea tum ab antiquis temporib9 in hunc usum tractum & adhibitum est: tum per ipsa adhuc hodierna tempora, huic eidem fini passim adhibetur: inprimis

primis portione sui spissiore, *caseoso-butyrosa* jam orbatum, *cremore* nempè suo, Milch-Raum/ Sahne/ oder Schmandt: quale vulgò abgenommene oder blaue Milch appellant. Sicut etiam de *Tartaris* hodiè dictis, vulgò memorant itinerum descriptiones, quod *equino* lacte sitim restingvere soleant. Veluti non solum de *infantibus*, sed etiam quorumlibet *viviparorum* animantium pullis notum est, quod *Lac* ipsis per teneriorem ætatem non solum in *potum*, sed etiam in ipsum cibum sufficiat.

XVII.

Habent autem etiam arte facti *potus*, omnino usus non contemnendos, dummodo partim propria ipsorum bonitas, partim *adsvetudo* individualis, in considerationem decentem veniant. *Consistentiam* quod attinet, est illa utique laudabilior, quæ *alimentosum* quidem quiddam in se contineat, interim ad hujusmodi effectum ferè benè atque promptè dispositum: nec adeo æquè ad *corruptelas*, vel *viscosas*, vel *acres*, vel *putridas*, proclive. Sunt autem hujus generis, *mediæ* inquam constitutionis, simplicius parati potus *hordeacei*, *moderatè fermentescentes*, vulgo *cerevisiæ* nomine noti. Veteres nudo *decocto* hordei, etiam *crudi*, acquieverunt; quod inprimis in calidioribus regionibus ad *acidulum* saporem disponere utile duxerunt, per *acetum* moderate admixtum, *ptisanæ* nomine. Posteriores, & inprimis sub diverso cœlo viventes, ut potum hujus generis in copiâ parare, & verisimiliter, ut à quotidiano reparandi labore supersedere liceret: imò probabilissimè forte omnium, qualiscunque etiam gratioris *saporis* ergo, instituerunt, non simpliciter *decoctum* ejusmodi spissius, sed *fermentatione* alteratum, *attenuatum*, & *acuatum*, adornare. Quamvis etiam huic rei favisse, aut viam stravisse videri possit, incommodi illius correctio, quod à *crudi* hordei nuda decoctione resultat, *mucilaginosæ*, ingratioris, & minus sapidæ, consistentiæ. Ex his autem, quod sanè mirum, propemodùm oppidatim quadantenus *differentibus* cerevisiis, pro *simpliciter potulento* usu, sunt ante omnia

meliores illæ, quæ quidem *dilutiores*, adeoquè neque *ventriculo*, neque *capiti* facile molestæ, *sitim* ita sedare, & chylum bene *diluere* valent: interim illo *fermentationis* gradu gaudent, ut & *lingvam* gratius feriant, & concoctionem, *lenissima fermentescentia*, potius sustentent, atque juvent, quam turbent, excessu aut defectu: & ipsa illa placidissima *acerbitate*, tanto facilius etiam iterum ad *excretionem*, inprimis *diureticam*, tum etiam *alvinam*, inclinent. Quales conditiones quæcunque cerevisia non possidet, sed vel *fatua* est, non tam gustui, verum subtilissimo tactui lingvæ, (sine *acerbitate* illa subtili *fremebunda*, quam Galli vocabulo *picquant*, *picqueure*, designant, Germanis das stumpff/ weich/ schaal/ wie Oehl/ schmecket/ nicht auf der Zungen Spitze pitzelt i. e. bisselt/ *morsicat*,) revera neque cuiquam sapit, nec etiam laudabilis est.

XVIII.

Qui verò *potûs*, non veri sui *finis* ergo, nempe *sitis*, atque *dilutionis* maximè causa, æstimant, sed *saporis*, imò *inebriativæ* turbulentiæ, (quod illi *exhilarationem* appellant,) nomine affectant & amant, cum illis nobis non est sermo: tantò minùs, cum cerevisiæ, hujusmodi heteroclitis effectibus pares, directis illis *potulentis* usibus tantò minùs quadrent: & ferè duplices, planè peculiares, circumstantias involvant, ut vel *labore* atque *corporis agitationibus*, incommoda quæ post se trahunt, non tam discutienda veniant, quam excutienda: vel otio longo, atque *somno diuturno*, iterum superandæ: sed communiter posteriore hoc casu, cum diuturnioribus *fastidiis*, *gravationibus*, *langvoribus*. Tantò magis, cum hujusmodi cerevisiarum apparatus, etiam pro condimento, tàm saporis, quam durabilitatis, & *inebriativi* effectus, additamenta requirat, inprimis *lupulum*; à simplicis potulentæ utilitatis scopo, prorsus in diversum tendentem.

XIX.

Illud, quod in hoc negotio curiosiorem quadantenùs considerationem mereatur, est illa primo intuitu veluti præpostera

ſtera ſeu inverſa Conſvetudo: dum, *Europæi* ad minimum, calidius clima inhabitantes, *calidioribus potibus*, non ſolum *vinoſis*, ſed etiam *generoſioribus*, gaudent: *Frigidioris* cœli verò ſubditi, *ſpiſſioribus* non ſolum familiarius utuntur, ſed etiam communiter commodius ab illis habent, quam â *vino*: cum utique veroſimilius videatur, *frigidi* cœli moleſtiis, & *ſpisſiori aëri* atque ſangvini, conſultius opponi, & *tenuiores*, & *attenuantes* potus, & viciſſim. Sed præter illud, quod quorumlibet talium climatum incolæ, & numero longe plurimi, & ſanitate atque vivacitate maxime conſpicui, longe conſultiùs utuntur ſimpliciſſimo potu, *aqua*: minime ita abſona eſt etiam reliqua illa *artificialium* potuum, ſub differentibus illis climatibus ratio: ſiquidem *tenues* potus, ſangvinem commovere apti, ſecuriùs uſurpantur ibi, ubi *tranſpirationi*, & reliquæ etiam *liberæ agitationi* ſangvinis, liberior atque conſtantior eſt locus: dum ex adverſo, ibi, ſubi per alterationes aëris aut ipſam ſpiſſitudinem Sanguinis, *commotiones* ejus minus ſecuræ ſunt, etiam incitamenta vel nulla, vel minora, locum habere debent.

XX.

Sicut autem & *cibi ſimpliciores*, & *potus* maxime *temperatiores*, quam maximè conveniunt, atque Naturæ conferunt: Imò etiam ex ipſis cibis, quadantenus potius *firmioris*, quam planè *mollis*, conſiſtentiæ: ita ſubſervire tamen debet, tam illis, quam reliquis illorum ſucceſſibus & effectibus, *motus* ipſe *corporis* proportionatus, & quietis quidem juſtæ alternatio: Interim tamen ſegnis atque deſidis *otii* evitatio.

XXI.

Habet certè non ſimplicem, ſed planè multiplicem uſum, alacritas & agilitas MOTORIA, in tota œconomia humana. Præter illud enim, quod ipſum etiam *animum* magis veluti excitat, & *inertiam* ab illo depellit; reddit etiam ipſum *corpus* magis magisque *habile*: Adjuvat, prætereà, *diſtributionem* facilem & expeditam nutritiorum *humorum*: promo-

vet expeditiorem *circuitum ſangvinis*: facilitat hoc ipſo *ſeceſſiones* ex ipſo, heterogenearum rerum, ſeu *ſecretiones* & *excretiones*: imò verò, *conſumit* etiam ſenſim nimium ſangvinem, & locum ita præbet *recentis* novæ ſubminiſtrationi. Antè omnia, eſt certè nonſolum *utilitas* præcipua, ſed omnino *neceſſitas motus* corporis, eximia, in debita *ſluxilitate ſangvinis* conſervanda, ne ille nimia *ſpiſſitudine*, motui quaſi refractarius, ſi non æque juxta vulgares opiniones veras *ſtaſes* & *obſtructiones* ita temere incurrat: tamen plures, & ultra communem ordinem etiam *auctiores, tonicæ transpreſſionis* contentiones efflagitet: quæ partim moleſtias inſolitas inducunt, partim ab inuſitata non magis ſui præſentia quam ſubinde ſenſibili vehementia, multis mortalibus imponunt, ut pro peculiaribus *directis morbis* illos intueantur.

XXII.

Sanè verò, ſicut hæc *ſubordinatio* debita voluntariorum *motuum*, ad largiorem aſſumptionem *ciborum*, maxime vero ad incommoda, corpus paſſim ab his initiis corripientia, plus valet, quam *ars*, & directa ſubſidia, *Medica*; ita meretur ad animum decenter revocari, etiam altera in hoc genere, vera ſatis ac certa, conditio: quod nempe etiam ſæpenumero artis ſubſidia quæcunque, re vera etiam in hoc genere inania ſint & impotentia, niſi cum ipſis *motus voluntarii* conveniens concurſus rectē conſpiret, & illis verè ſubſidia atque ſuppetias ferat. Quæ certe res longe plus utilitatis, imo auſim dicere neceſſitatis habet, ut memori mente teneatur; cum nequaquam ita rarò etiam bonis de reliquo *medicamentis* ſucceſſus exoptatus non tam aliunde deſit, quam ex hoc præcipue latere, neglecti *ſubſidii motus neceſſarii, localis, voluntarii*: qui *involuntarium* ſeu ſpontaneum, *vitalem*, tam̃ *circuli* & *attenuationis* ſangvinis, quam *ſecretionis* & *excretionis* humorum, commodius & liberalius ſuccedere faciat.

XXIII.

Quamvis autem defectus hujus *motus*, multum negotii objiciat tum *fœminino* paſſim ſexui, inter otioſiores, aut delicatiores

tiores: tum inter mares, *literatis sedentariis*, & aliis qui e vitæ genere agiliore, seu laboriosiore, ad indulgentiorem, & ut ipsi interpretantur, tranquilliorem transitum faciunt, die sich zu Ruhe setzen/und forthin ihrem Leibe etwas zu gute thun wollen: conferentibus maximè symbolum suum, tum *victu pleniore* & *intemperantiore* tum animi pathematibus: est tamen etiam necessarius, prudens atque decens *modus*: Siquidem in hoc etiam sæpe offenditur, dum præscripto ejusmodi Patientibus largiore motu, illi mensuram nullam servant, sed *immodice*, *subito simul & semel*, *violentis* agitationibus corporis incumbunt, sine *anni* & *temporis*, *tempestatum*, *plenitutinis* aut *levitatis* corporis, & imprimis *abundantiæ humorum* ulla distinctione, & secundum hanc habitâ proportionis ratione.

XXIV.

Quæ res plura incommoda sub se complectitur, non levidensia; Primo enim, contingit non ita rarissimè, ut simul & semel, aut nimis etiam diu, *valdè exagitatus* sangvis, nimium velociter expandatur, *restagnationes* importuniores, imò *stases* ita concipiat: aut ab his incitamentis importunis, ferociores *regurgitationes* versus regiones certorum emunctoriorum, pertinaciter suscipiantur: à quibus omnibus atque singulis rebus, *dolores*, *exæstuationes*, *inflammationes*; *Febres*, imò etiam *eruptiones* sangvinis incontinentiores, occasionem sumunt. Unde utique hæc etiam pars ad bonam *Diætam* pertinens, optimè rationi atque proportioni superstruenda venit.

XXV.

Minime vero in hac classe silentio simpliciter involvere convenit, peculiaria illa genera *motus* corporis, quæ etiam *debilibus*, & graviter *periclitantibus*, *phthisicis*, atque *Hecticis*, Vetustas quidem in *navigatione*: Inter recentissimos autem, inprimis *Sydenham*, in *equitatione*, quin etiam *vectura* succussatoria, passim destinaverunt, imò promiserunt: confidentissimo certè *Sydenhamii* asserto, qui *equitationem* tam certo *Phthisi* salutarem esse affirmat, quam *Febri Tertianæ* sit *China Chinæ*. Quod quidem, licet eadem fiducia confirmare non au-

ſimus, inſignem tamen eſſe ejus efficaciam, ne luculenta quidem etiam exempla deſunt.

XXVI.

Quietis vicisſitudo, prudenter etiam inſtruenda & in uſum trahenda venit, poſt uſurpatos ipſos quoque Motus. Tum, ne mox, imò immediate *poſt* inſignes Motus, aut *inter* ipſos eosdem, ſegni quieti ſtatim locus concedatur: vel pedibus iter facientium nota obſervatione, qui in medio itineris, otioſè & diutius deſidendo, repentinam quandam inſignem *Fatigationem* ita incurrunt, quæ illis, quod reliquum eſt viæ, tanto moleſtius & laborioſius reddat: aut ad minimum utique, ita ipsos prægravet, ut majore cum animi & corporis contentione, majorem alacritatem iterum conſequi neceſſe habeant. Inprimis autem eſt hujus modi inconveniens regimen admodum familiariter in culpa, ut poſteris diebus, ſic affecti, *contuſorium* illum ſenſum in artubus percipientes, qui etiam exquiſite ſanis, ſaltem non aſſvetis, poſt alacriores atque longiores ambulationes evenit, *fatigationem* hujusmodi, imo veram *ſegnitiem, virium defectui,* atque *deſtitutioni*, imprudentius imputantes tanto magis impoſterum abhorreant ab hujusmodi corporis exercitationum uſibus amplius *repetendis*.

XXVII.

Quemadmodum autem tam motus *repentini* exceſſus, quam quietis diuturna, imo *aſſidua* continuatio, corpori variis modis moleſtiam faceſſunt, ita fit hoc tanto certius in iis, qui contrariæ rationi jam diutius *adſveverunt*; atque hac ratione, quod vulgo dicitur, ab *uno extremo in alterum* temere tranſitum faciunt. Excepto verò repentino illo, minus utique ita commodo, mutationis incommodo ſi quid liberalius atque largius fieri debeat, dignum omnino eſt notatu, quod præſtet plurimum potiꝰ *motui indulgere*, quam *quieti* nimiæ incumbere. Ubi omnino decentem contemplationem meretur circumſtantia illa notiſſima, quod *vegetiore* motu, corpus non ſolum *agilius*, ſed etiam *firmius* reddatur: imò *vires* ipſæ motoriæ, tantum abeſt, ut ita deperdantur atque conſumantur, ut potius, prudente

te motionum alacriorum usu, acquirantur veluti & augeantur. Quarum rerum universarum contrarium rè verà evenit à quietis abusu, nempè & *inhabilitas*, alibi *flaccida*, alibi *rigida*, corporis: *mollities* autem *fibrarum* atque *laxitas*: *virium* prætereà torpor; imo velut universalis *enervatio* atque *gravitas* corporis: *socordia* verò, *fastidium*, *somnolentia* animi, & varia mala consilia *otiosis* speculationibus vestigia legentia: sicut etiam *motus* corporis tolerabiles, *bonus appetitus*; pigritiam, fastidium: illos, consumptio prioris, & inde reparatio recentis, sanguinis, insequitur: desidiam, depravatio utriusque: illos promptiores & expeditiores *secretiones* & *excretiones* heterogeneorum; hanc, harum & rerum retardatio atque neglectus.

XXVIII.

Aëris temperamentum, quin multum in regimine Diætetico sibi deposcat, nemo facile dubitaverit: sunt autem præcipuæ ejus conditiones, quibus nocet, (præter simplicem *excessum* insignem in quacunque etiam sic dictarum *primarum qualitatum*,) *frigoris præcipuè* & *humiditatis* incommoda. *Vitam stabulari in calido & humido*, notum est solenne antiquitatis dicterium. Cui tamen præjudicium adferre videtur altera ejusdem scholæ adsertio, quod *humidus calor* sit architectus *putredinis*: hæc vero non magis satelles, quam carnifex, ipsius *mortis*. Si tamen posterius hoc accipiatur, uti vere ab illis sumptum animadvertitur, de *excessu humidi* caloris, facilè meretur excusationem. *Frigus*, nisi prorsus *intemperans*, directè & simpliciter, corpori tam eximiè noxium non esse, benè vero *humidum* frigus, luculenta exempla monstrant. Tanto magis, cum Frigus, (iterum dico, non penitus enorme) faciliorem temperiem admittat, à prudente moderamine *voluntarii motus*: cujus nempè effectus præcipue, *frigoris* effectibus contrarii sentiuntur. Ast *humidum* frigus, cum simul *partium* robur labefactet, & enervet, tanto pejus utiquè est, & potentioris ad nocendum energiæ. Unde etiam ipso minore sui gradu, gravius corpus afficit, quam siccum, notabilius majore gradu: adeoquè etiam per *æstatem* coortæ, *frigidæ humidæ*

aeris

aeris intemperies, longè magis turbant corpus, quam *hyemes* ipsæ ſolent.

XXIX.

Præcipuam tamen nocendi energiam in corpus humanum, exſerit *repentina* maxime mutatio, ſeu tranſitus *calidi* corporis in ipſum *frigus*. Ubi cum *calor* ſangvinem *expanſione* afficiat, *refrigerationes* citò ſupervenientes, *regurgitationem* ejus ad intimiora cauſantur: aut ad minimum *contentiones* inter appulſum illum intrinſecum, & externum talem veluti ſtimulum *repreſſorium*: inter quos mutuos conatus ac reniſus, *arctatus* ſangvis, *ſtaſes* & *coagulationes* incurrere poteſt; tanto magis, ſi *coagulatoria* energia *frigoris* actu ad ipſum penetret: partes verò contentioſis illis tenſionibus atquè preſſionibus ſenſi biliores redditæ, dolores ita experiuntur.

XXX.

Quamlibet autem *Adſvetudo* longa, ante omnia verò tempeſtiva, monſtroſas quaſi, certè ſpectabiles, heterocliſes etiam circà hanc rem, producat: ſicut in *Septentrione* noſtro, à mea jam *Curlandiâ*, per *Littuanos* & ultra, etiam pueris notum eſt ſpectaculum, quomodo ruſtici, è publicis balneis, toti æſtuantes ac rubentes, nonſolum æſtate in *profluentes* aquas, ſed ipſa *hyeme* in mediam *nivem*, corpora ſua projiciant & immergant, nonſolum ſinè damno aliquo, ſed, ut ipſi fere laudant, cum inſignis *alacritatis* conſecutione: Conſtat tamen inter omnes mortales, quod actualis refrigeratio corporis, qua inquam hoc ita afficitur, ut ipſe Patiens non tam frigere, quam ſolum ad ſenſum *frigeſcere* ſe percipiat, nunquam ſine ulterioribus ſenſibilioribus pejoribus conſecutionibus decedat, quoties talis intemperies corpori, vel aliunde, vel inprimis ab aliquo *morbo*, *ſenſibiliori*, ſupervenit: inprimis, ſi mutatio ſit *repentina*: & maxime à pariter ſenſibili *calore*.

XXXI.

Minimè verò negandum eſt, quod non parum etiam

ad

ad ſummam harum rerum valeat longa *Conſvetudo*, imò veluti connata. Interim eſt tamen etiam illud propemodum certum, quod, qui *frigori* adſveti ſunt, non tam inſigniter perturbentur, nedum lædantur à *calore*, quam contrà: ſine dubio propterea, quia multo, maxime verò veluti perenni, frigidiori aëri adſveti, etiam propemodum (non quidem à *frigoris* quacunquè efficacia, ſed potius vera atquè juſta naturæ, corpus ſuum rectè munientis, *alacritate* ac energia conſtantiore,) *firmiora* habent corpora, & *animi* etiam mores, ad *tolerantiam* magis formatos: dum à *caloris*, non tam exceſſu, quam *prædominio*, corpus æquè ac animus, vel *enervatur* magis; vel *faſtidio* oneratur hic, illud tenuius atque minus evadit: utrumque verò, *phyſicè* & *moraliter*, *ſenſibilius* redditur.

XXXII.

Habet autem hæc conſideratio præcipuum locum, tum in *habitationibus*, tum etiam alia multiplici obverſatione; dum vulgo quoquè ſatis notum eſt, nonſolum *ventis* in genere, moderatis, expoſitas atquè pervias habitationes, *ſalubriores* eſſe; ſed in ſpecie quoquè *humido* multo vapori ac halitui obnoxias, *inſalubres*. Quo nomine itaquè damnantur habitationes ad loca *paluſtria*, aut undecunquè tandem inſigniter *humeſcentia*. Sicut in *tenerioribus*, *ſenſibilioribus*, aut inſigniter *valetudinariis*, ſolertius animum advertentibus, obſervare licebit, quod habitationes in *infima* ædium contignatione, inprimis autem ubi fundus ſubterraneus admodum *humidus* ſubeſt, ordinariè peſſimè ferant: ſenſibiliter autem melius habere notentur, quando in *altioribus*, liberiori aëri patentibus, conclavibus, ſtationem ſuam collocant. Adeò certe, ut hæc circumſtantia, ſi modo correctio locum inveniat in talium hominum *Diæta* ordinanda reverà non poſtremum locum ſibi vendicet, aut leve momentum ſub ſe complectatur: adeoquè omni modo in hujusmodi conſultatione in conſiderationem trahi debeat. Cæterum autem vitari utique debent, quantum usquam fieri poteſt, tum

omnis inusitata, tum *repentina* frigoris & caloris, inprimis autem humiditatis, *mutatio*: nempe *ficcioris* aëris in *humidiorem*, nisi quidem *ventus* liberius concurrens, ut in marinis profectionibus, aliquod temperamentum adferat.

XXXIII.

Neque verò silentio involvenda venit, res, jam inde ab antiquis temporibus, & ab ipso maxime *Hippocrate* notata & indicata, de *salutari mutatione aëris*, ex integro aliquo *districtu*, in alium transeundo. Quantumlibet enim in hujusmodi cœpto non postremum locum sibi vendicet ipsa *itineris* ratio, seu *motûs corporis* per itinera, energia: simulque *animi* major libertas & exhilaratio, quæ in ejusmodi *morbis*, quibus hoc præsidium quàm maxime destinatur, *chronicis*, utiquæ non ultimæ est considerationis: Non est tamen ullum dubium, quin deterioris *aëris*, si quis Patiens cum tali, præter reliquum suum morbum, colluctatur, permutatio cum meliore, revera etiam haud parum utilitatis patienti fœnerari possit.

XXXIV.

De *aëre*, *alienis* peculiaribus halitibus alterato, minus est dubii, quomodo vel ille nocere possit, vel mutatio ejus utilis, imò aliquando necessaria existere. Illud autem omninò tantò magis, quando Patientes vel in genere, jamjam sunt *valetudinarii*: vel specialissimè in talibus locis malè habent, quæ illis aëris inquinamentis liberius exposita sint. Quo nempè loco mentionem injicere licet ejusmodi locorum, in quibus *carbones fossiles* usurpari solent, & aërem halitibus suis largiùs imbuere. De quibus, licet vulgo timeatur, quod *pectori* multum periculi minentur: non tamen observatur æque experientia huic speculationi suffragari: dum inprimis homines, qui velut inter medios hujusmodi vapores versantur, operarii varii cum suo famulitio, nihil inde effatu digni incommodi, nedum damni, passim incurrere observantur: illud autem minimè dubitare sinit eadem experientia, quod illis,

qui-

quibus jam violati ſunt *pulmones*, hujusmodi vapores, ſenſibiles exacerbationes incutere valeant, adeoque longè ſecurius ſit, illas evitare aut mutare, atque adeo in puriorem aerem commigrare, aut ſecùs periculum experiri.

XXXV.

SOMNI & VIGILIARUM tempeſtivæ alternationes, quantum negotio ſanitatis conferant, nemo puto facilè ignoraverit. Interim, ſicuti tempeſtivus atque temperatus *ſomnus*, non corpus ſolùm, ſeu *vires*, egregie refocillat, ſed & *animum* alacriorem, poſt intentas cogitationes, reddit: ita nihilo tamen etiam minùs notum eſt, quod *nimium ſomno* indulgere, ut *animum* ante omnia *torpidum* atque *ſocordem* reddat, ita *corpus* etiam enervet, *laxum* atque *grave* veluti efficiat: adeò ut inde etiam *ſubtumidus* aſpectus, & non ſincerè ſana, *turgida* magis, quam εὐσαρκος, nedum pinguis, corporis habitus discraſia inde reſultet: Sicut etiam *neglectus excretionum* debitarum, *nimio ſomno* familiariſſimè veſtigia legens, è ſuo quoque latere ſanitati nihil niſi incommoda adfert. Unde quidem debitum *moderamen* atquè proportionem inter vigilias atquè ſomnum, obſervare, multis modis utiliſſimum eſt. Sufficiunt autem 7. ad 8. horæ, *adultis*: minorennibus autem non æquè, ſed *plures* his concedendæ, inprimis pro indolis varietate, & judicioſa æſtimatione tolerantiæ.

XXXVI.

Nec etiam æquè abſolutè valet communis illa regula, de *vigiliis matutinis*, & Germanorum illud: Morgenſtund hat Gold im Mund. Cum enim omnibus modis veriſimilius ſit, quod hæc ordinatio initium ſuum ſumſerit potius à *civili* circumſtantia, minoris perturbationis per ſtrepitum diſcurſantium, & converſationis civilis, quam â phyſicâ quacunquè vera corporis ratione: quandoquidem re vera præmaturè à ſomno exitatus homo, ordinarie *torpidior* eſt, atquè *faſtidioſior*: non eſt certè ulla verior menſura ſomni, niſi quando homo legitimè judicari poteſt *edormiviſſe*: unde

etiam non tam æquè valde tempestiva *post cœnam* somnum capessendi, & deinde valde *manè* surgendi ratio, absolutam quamcunquè prærogativam meretur.

XXXVII.

Interim fundamentum hujus etiam rei, non postremum, situm utiquè est uno loco in *Consvetudine*: altero, in reliqua ipsius *indolis* alacritate atquè dexteritate: de quâ certe, post supremum tamen fundamentum, Divinam Benedictionem, eximiè valet effatum Psalmi: *Frustra esse summo mane surgere*; sicut etiam in *tardum sedendo* tempus prosequi: cum, quibus placitum est, Deus, (etiam per ipsam bonam indolem & ingenium capax,) largiatur, quod juvet, (licet non *dormiendo*,) tamen *dormientibus*. Unde nulla certior in hoc genere mensura est, nisi, *à priori*, evitatio *nimii torporis* potius, quam *soporis*: à posteriori verò, observatio atquè prosecutio euphoriæ: siquidem multi dantur ejusmodi homines, quibus expeditius est, diutius *post cœnam vigilare*, & conticescente strepitu diurno, adhuc aliquid perficere, matutinum autem maxime somnum & profundissimum experiri, & gratissimum: dum alii diverso modo affecti, etiam in hoc genere suo mori melius relinquuntur.

XXXVIII.

Pomeridianus etiam somnus, passim in quæstionem venit: sed profectò absurdum est etiam in hoc genere *unam* firmam regulam & præceptum, omnibus præscribere: Cum enim nonsolum temperamenta & *habitus corporis*, tantò magis autem *animi*, utique varient; sed etiam *adsvetudines* plurimum profectò, nonsolum possint, sed etiam jure suo sibi vendicent: Non potest utiquè tota hæc res tam arctis cancellis includi, & simpliciter uno eodemquè ambitu comprehendi. Securissima omnium via est, observatio *euphoriæ*: Omnino tamen, evitatio voluntariæ & quasi frivolæ *adsvetudinis*, si nihil svadere videatur, nedum urgere. Antè omniá verò, his, qui indole sunt alacriore, frivola adsvetudo *diurni* somni, minus convenit, inprimis si neque *fatigatio* corporea, nec

nec *oppletio* cibaria, aliquid postulare videatur: qualia tamen, uti non quotidiana sunt, ita meritò cavendum est, ne mox ab una tali, quantumcunque justiori, occasione, transitus deinde suscipiatur ad quotidianas talium cœptorum *prosecutiones*, ad quas videlicet facillime proclivem sese ostendet natura, si ipsi temere mos geratur. Unde hic etiam *metiri se quemquè suo modulo ac pede verum est.*

XXXIX.

Ex animi pathematibus, gravissima in corpus, & præsentissime, redundare incommoda, perturbationes, imò damna sanitatis atquè vitalis energiæ, vix quisquam est qui ignoret. Cum autem vulgaris enumeratio horum, non tam satis exquisitè exhaurire videatur universam horum familiam, sed, minùs exactè, solis illis enormibus, & ab omnibus quidem hominibus accusatis, apud omnes tamen propemodum usitatis, insistere; *Iracundiæ*, *terrori*, *timori*, *mœrori*, *anxiæ curæ* & *solicitudini*, quin tandem deniquè *nauseæ* & *fastidio*; *desiderio* anxio & indesinenti: Videtur e re ipsius veritatis fore, si non tam solum hæc notiora, dignitati suæ relinquantur, imò quam maximè asserantur: verum etiam alia quædam, minus vulgo directe, & velut ex ipso primo aspectu, observata & agnita, interim magnæ in hoc genere efficaciæ, vera talia *animi pathemata*, malè fundatis *opinionibus & æstimationibus* superstructa, multas, assiduas, miras, turbas corporis œconomiæ objicientia, etiam condignè notentur.

XL.

De vulgaribus certè illis notior propemodum est res, quam ut illi prolixè illustrandæ operam dare necesse videatur, Quis enim non vel statim commeminit, vel præsentissimis experimentis percipit, quod utiquè *iracundia*, atquè *terror*, ipsis illis *momentis*, quibus in animum admittuntur, etiam *primarium* generalissimum actum *vitalem*, *cordis motum*, circuli sangvinis rectorem, certissime turbent, & incommode agitent: simul vero etiam *tonicos* corporis motus

 sensibi-

ſenſibiliſſimè percellant, ut mediantibus etiam illis, aditus ſangvinis in partes corporis diverſimodè reprimatur, adeoquè duplici hujusmodi perverſione, œconomiæ *corporis* erroneæ commotiones incutiantur. Ubi inprimis alibi aſſiduè adhærentes, alibi trepidè recurrentes, ut animi, ita ipſius etiam corporis, tales *tumultus*, non modo *multa*, ſed aliquando etiam *gravia*, inprimis autem magis magisquè *prompta* atquè *repentina*, objiciunt *vitalium motuum* ſcandala: in *pulſus* negotio, ad *ſyncopticas aſphyxias* usquè: in *toni* actu, a *tremoribus* trepidis, imò *impotentia* voluntariorum motuum timidiſſima, ad *convulſivas* usquè vehementiſſimas contentiones.

XLI.

Puto autem poſſe nos excuſari à diffuſiore harum rerum accuſatione, adeoquè neceſſariâ etiam dehortatione, ab earundem temerario abuſu. Majori vero ſine dubio jure mentionem faciemus *duorum* tanquam *compoſitorum* de claſſe hac, pathematum, *Inſvetudinis* & *Adſvetudinis*. Non licet in verbis argutari; intelligemur ſtatim melius, ſi *Inſvetudinem*, *mollitiei* nomine declaraverimus. Certe quantum damni *mollities*, i. e. inſvetudo ad *activitates*, tam *vitales*, quam *animales* ſeu *voluntarias*, alacriter ſuſcipiendas, & tam corporis *agilitatem*, quam animi *activitatem* ita exercendas, imo habilitandas, quantum, inquam, hæc paſſim detrimenti, confuſionis, perturbationis, objiciat, non tam directe corpori, quam *regimini*, *actuationi* & *adminiſtrationi* ejusdem, vix quenquam poteſt fallere.

XLII.

Quod autem hujusmodi *mollitiem* magna ex parte ipſi maximè *animo* imputemus, cum tamen ſubinde etiam ſine *animi* ſenſibili præſcitu, alterationes hujusmodi, ab inſvetudine evenire videantur; v: g: à *cibo duriore*, aut aliàs *inſolito*, etiam cum qualicunquè appetitu adſumpto, qui tamen deinde plurimum incommodorum atquè turbarum circà ventriculum & primas vias, concitare obſervatur: Eſt omnino

nino harum rerum præcipuum fundamentum in eo positum, quod non solum etiam tales *tolerandi* difficultates, communissimè *à posteriori aversionem nauseosam* post se trahant; quæ, etiam antequam ullus contactus verè corporeus, cum partibus verius ita onerandis obtingat, è nudo *adspectu*, imò è multa *mentione* aut *recordatione*, mox denuò sese exserit: sed etiam, *à priori* frivolæ tales *aversiones* æquè, ac alibi alienissimarum rerum etiam *appetitus*, passim excitari observentur a nuda falsa *æstimatione* ipsius matris, qua hujusmodi pravæ *aversiones*, aut *concupiscentiæ*, & eo ipso *tolerantia* alieniorum, aut *impatientia* etiam tolerabilium, *animo* certe infantis, tanquam ficta atquè vana res, necusquam *physice* subsistens, ita imprimitur & conciliatur.

XLIII.

Cœterum, in multis etiam adhuc aliis hujusmodi variæ *impatientiæ* objectis, de rerum *non-naturalium* censu, fere tanto luculentius elucescit *animi* aberrantis concursus imò culpa; nempe vana, *impatiens*, aut *timida*, *æstimatio*, v: g: *frigoris* aut *caloris*: *saporum*, *acidi*, *austeri*, *acerbi*, & inprimis *amari*: *motuum corporis* paulo laboriosiorum, & *fictæ* inde ingentis *fatigationis*, *lassitudinis*, imo *virium* defectus: *torporis* atquè *somnolentiæ*, *vigilandi*, & *evigilandi*, impatientissimæ aversionis. Quin, etiam passim observanda, illa superstitiosa *meticulositas*, tam circa *quantitatem*, quam *qualitatem* variarum alimentosarum rerum, adeoquè ingens, imo unica propemodum, *fiducia*, in perpetuis *medicationibus* præservatoriis. Qualia inquam, omnia atque singula, quantum innitantur *moralibus animorum* ipsorum, præoccupationibus atque perversionibus, passim videre est in exemplis intempestivæ *indulgentiæ*, qua junior ætas enervatur. Ubi magnus exemplorum numerus satis demonstrat, quod, si hujusmodi molliculi, post hac in tales temporum & locorum vicissitudines devolvantur, in quibus affectatis illorum querimoniis locus non detur, quod tunc affatim, victo per necessitatem *molli* animi nisu, possint, & satis citò discant ac adsvescant, tolerare, quæ an-

tè

tè hac non tam *animi*, quam totius corporis *vitio*, *defectu* & *imbecillitate*, minimè *potuisse*, videri volebant, imò solebant.

XLIV.

Quantum usquam fieri potest, vitanda meritò est hujusmodi *mollitiei*, seu *insvetudinis*, introductio; dum non solùm ipsum *animum* pervertit, *meticulosum*, *lubricum*, sibi & aliis *diffidentem*, & in affectata *commoditate*, sibi aliisque incommodum & molestum, efficit, ac efformat: sed etiam ipsum *corpus*, *laxum*, *fluxum*, *instabile*, & *inhabile* reddit. Imo verò, ubi etiam jam inauspicatò præstò est, non nisi cum omni prudentia ipsi etiam indulgendum venit, ita, ut quantum usquam fieri potest, plus ipsi detrahatur, quam ultrà concedatur.

XLV.

Alterum merito ad *æstimatorias patheticas phantasias*, tam *cogitabundas* quam *appetitivas*, aut *nauseabundas*, referendum hujus classis scandalum, versatur circa *Adsvetudines*: ita, ut omnino etiam illarum rationem eximiam habere, passim necesse sit. Quæ res maximè locum habet, in præcavendo repentino transitu abuno veluti extremo ad alterum, tum etiam in ipsa tolerantia diversarum rerum, aliàs minus ordinariè usitatarum, seu usu familiarium redditarum; quales proinde, sub hac conditione existentes, secundum habitum illarum *absolutum* seu simplicem, judicare velle, absonum utique fuerit. Quorsum nempe tum repetenda sunt ea, quæ suprà de *victu duriore* jam monuimus; tum quæ etiam de *frigoris*, majore aut minore patientia, tum etiam *fatigationis* à voluntariis motibus, diversitate, ibidem indicavimus. Hoc autem omni modo notari meretur, & in harum rerum, veluti *criterium practicum* adsumi, quod corpus humanum, in tota sua œconomia, *fatigationibus*, non prorsus *præcipitibus*, ac *immoderatis*, non solum satis facilè *adsvescat*, sed illas etiam satis commodè *toleret*: *Luxuriosis* autem ataxiis, qualitercunque adsvetum, certiùs inde & citiùs, pluribus aliis incommodis succumbat, & inprimis quasi præmaturè *enervetur*: ita ut hic maxime valeat vulgo usitatum illud dicterium; Es finde sich im Alter wieder/

der/ was man in der Jugend dem Leibe zu viel gethan. Quod re vera non nisi perperam & falsò, vulgò dici etiam consvevit de *laboribus* per juventutem toleratis: cum non valeat verius, nisi de *mollitie*, imò verò *luxuria* per juventutem perperam corpori imposita: dum *laboribus*, nisi corpus planè *frangentibus*, illud potiùs inde à juventute verè duretur, si modo in ipsam etiam usque seriorem ætatem, proportionatè & ad tolerantiam, *continuètur* potius, quam intempestiva insolita *otiosa* inertia permutetur, inprimis autem cum conjuncta *plenà victus* abundantiâ, aut *iracundiæ*, vel etiam *mœroris*, *solicitudinis*, & *curarum anxiarum*, perturbationibus.

XLVI,

Cœterum, habent utiquè etiam illa veluti crassiora *animi pathemata*, multam atquè magnam vim, sanitatem concutiendi; unde regimine etiam ipsorum prudente opus omninò esse, nemo non meminerit. Ubi tamen inprimis *iracundia*, *terror* atquè *timor*, multarum atquè variarum turbarum authores promptissimè sientes, tanto magis in meliorem ordinem redigi postulant. Quæ res præcipuum locum habet in ipsa mox *infantum* educatione ut à *terrore* & promiscuo *timore*, *nausea* etiam, & *malacia* delicata aut luxuriosa, quantum unquam fieri potest, alieniores reddantur: siquidem hæc morum ipsorum formatio, multiplicem certè usum imposterum assequitur, tam in corporis œconomia, quam animi compositione.

XLVII.

Ultimo loco veniunt consideranda *Excernenda*; hæc, uti duorum sunt generum, *ordinaria*, & *extraordinaria*; ita habent omninò etiam *ordinaria* maxime primum locum, ut nempè in ipso quoquè adhuc *sano statu*, corpus ab *alienis*, imò vel ipsis *superfluis* ac *emeritis*, satis maturè repurgetur. Sunt hæc talia *Excernenda*, ante omnia *alvinæ feces*, de ciborum furfuribus, & crassis portionibus; deinde *Urina*, salinarum maxime portionum & salino-sulphurearum, expurgationi tribuenda. Deniquè *halituosa* etiam effluvia.

bus partim tenuis *humiditas* serosa, partim valdè activæ & agiles, adeoquè ad *divaporationem* maxime habiles, *salino sulphureæ fermentescentes & orgasticæ* portiones; in auras expelluntur. Ubi prima crassissima *excrementitia* substantia, *fecum* alvinarum, si ultra tempus conveniens detinetur, pro reliqua individui *sensibilitate* variante, variis etiam incommodis occasionem præbet. Ad minimum, & ferè familiarissimè, trahit post sese retentio talis ultra tempus conveniens, partim fecum ipsarum insolitam *siccescentiam*, & indurationem; deinde etiam *motus excretorii torporem* & segnitiem: porrò, quando deinde quasi per vim institui debet elisio, facessit negotium tum extremitati *intestini recti*, ut sœpe etiam *sangvinis* expressio, ita una inducatur: & ipso aliquando fortissimo nisu, alias insuper individuales malas dispositiones excitat, & velut in actum deducit: (quod non solum de *herniosis*, quin etiam *hæmoptyicis* aliquando valet, sed etiam de ipsis *gravidis*, quibus talem constitutionem aliquando ad abortum veluti primam occasionem præbere, non insolitum est,)

XLVIII.

Præbetur autem huic etiam rei occasio, *segnitiei* inquam, imò *occlusioni* debiti successus alvini, Primò, & simplicissima propemodum ratione, per ingentem *desidiam*; unde familiare est, ut sub profectionibus longinquioribus, veredis cursoriis susceptis, ubi per 3. 4. dies & noctes cursus, non nisi per intervalla horæ spatiis iuterpositis, tanquam per oblivionem, sub commoditatis etiam defectu, alvus detineatur: quin etiam *sedentario* segni otio addictis, aliquando e simplici *neglectu*, & levium alvi monitorum contemptu, illa deinde magis magisquè stipatur atquè restitat. Deinde fovet plurimum hanc alvi intemperiem, *potus* nimia *paucitas*; inprimis sub *solidiorum* ciborum largiore usu, & antè omnia *siccescentium*, & humiditatem promptius imbibentium: qua de re valet dicterium illud *Avicennæ*, juxtà vulgarem versionem, *omnis oppletio mala, panis autem pessima.*

(quam

(quam vis peritior aliquis Arabismi, errorem interpretis hic accuſet, & locum illum non de *oppletione*, ſed de *inappetentia* loqui, aſſerat.) Ut nihil dicamus de eduliis etiam actualis *adſtrictoriæ* efficatiæ compotibus, *pyris* ſiccis, *caſtaneis* crudis &c: Maximè verò omnium vitanda venit *voluntaria*, & ſœpè quaſi coacta & contendens, alvi admonentis *repreſſio*; ut pote quæ pertinaces, non tam ſiccitates, quam *ſtricturas* alvi, poſt ſe trahere poteſt: imo aliquando altiores *ſpasmos colicos* exitare: præſentiſſimè omnium in ſubjectis quæ *flatulentiæ* etiam familiariter obnoxia ſunt.

XLIX.

Urinæ defectus, non adeo ordinariè fere, & familiariter occurrunt, ad minimum ita eminenter, ut eximiè ſenſus feriant, aut præſentiora incommoda objiciant. Qui tamen vel aliis largioribus potibus, inprimis aquoſis, vel ipſi ſimplici aquæ, cum *Thee* aut *Caffe*, & valdè largis inprimis, potationibus addicti, tamen plane nihil *proportionatam* Urinæ miſſionem experiuntur, illi habent omnino, quod conſiderent, ne ſenſim majora incommoda ipſis ingruant. Quid quod etiam *conſiſtentia* Urinæ nimio *tenuior*, aut perpetuò *crudior*, intimiorum ſecretionum ataxias prodat, adeoquè vigilantiam, tam pro ordinanda *Diæta*, quam altiore ſcrutinio latentium cauſarum, commendet.

L.

Sudoris regimen conveniens, poſtulat etiam aliquam attentionem; dum fere vulgo, ſub quantalibet etiam reliqua *euphoria*, jam per *impatientiam*, jam per alias intempeſtivas *ſolicitudines*, *ſudationes* promptæ, aut planæ interdum *ſpontaneæ*, ſub opinione *debilitatis*, jam antecedentis, jam ſubſequentis, metuuntur, atque præjudicio arguuntur: aut ad minimum peculiaris *moleſtiæ* nomine, cohibendi potiùs, atque *ſupprimendi* reputantur: quod tamen nunquam ſatis commodè, facillimè verò quam maxime incommodè cedit. Habent autem ante omnia ſub hac conſideratione, peculiarem planè locum, *ſudores anniverſarii*, alterutro, inprimis *au-*

tumnali,

tumnali, aut utroque etiam, *æquinoctio* concurſantes: non *promiſcui* æque, ſed, planè peculiari ratione, *matutino* tempori, poſt digeſtionem atque diſtributionem abſolutam,(adeoque juſtiore tempore excretionis quam vocant tertiæ coctionis,) ſeſe exſerentes, ſpontaneo proventu. In his certè occurrit tanquam ſpecimen aliquod perverſi judicii hominum; dum familiariter hos ſudores metuunt imò averſantur; dum potiùs, hi quidem *rectè* atque *commodè* ſuccedentes, nihil usquam periculi corpori machinantur: ſi verò potiùs *impediantur*, aut ipſis reſiſtatur, inprimis præmaturiùs, antequam ſeſe exonerandi occaſionem aſſecuti ſint, tunc maximè Patientibus impendent alia, & maximè omnium quidem *arthritodea* incommoda. Unde præſtat hujusmodi ſudoribus in tantum indulgere, ut quidem à *poſitivâ promotione*, ſeu quoquo modo majore *incitatione*, temperetur; Interim per *medicamenta* quidem minimè omnium, imò ne quidem per *refrigerationes* qualeſcunque, aut præmaturam lecti omiſſionem, etiam inhibeantur. Ita ſenſim ſpontè *imminuti*, tandem planè ceſſant, manifeſtiorem *alacritatem* corpori relinquentes, minimè verò ulla alia ulteriora incommoda. Quarum omnium rerum contrarium evenit, quando *intempeſtivè* reprimuntur.

LI.

Quamlibet autem etiam in *occaſionibus* ſudandi, modum ſervare quam maximè conveniat; venit tamen hic inprimis in conſiderationem, tum reliqui *habitus* corporis, tum *adſuetudinis*, atque *tolerantiæ*, ſudationis diverſitas: Ubi multi *graciliores* non ſolum *promptiſſimè* æquè ac *largiſſimè*, ſudant: Verum etiam nulla inde incommoda perſentiſcunt: dum ex adverſo, plerique *habitiores*, vel parcius ſudant, vel ſudationem præter modum moleſtè ferunt, impatientiâ ad minimum & faſtidio inſigni. Cœterum autem, *reparatur* omninò facilius jactura humiditatis, quæ per ſudationem amittitur; (niſi quidem prorſus enormi commotione excedens, alia damna & colliquationes introducat:) ſolis *potulentis* humoribus: & tole-

toleratur proinde etiam faciliùs, etiam diutiùs, non *nimis impetuose*, durans, vel etiam sæpius *repetita*, dummodo *potus* subsidium rectè adhibeatur.

LII.

Aliæ evacuationes *extraordinariæ* ut in viris *hæmorrhoidales*, in fœminis autem, per periodum certam ætatis, *menstruæ*, servari utique debent in legitimis suis successibus: *Fœminina* quidem, quamdiu infantem neque *gestant*, neque *nutriunt*, etiam absolutè: *masculina* illa vero, postquam diutiùs *adsvevit*, aut diu *molita*, tandem erupit, *toleranda*. Utique est *sub conditione*: nempe *Primo*, Quando tranquillissimè *compensari* aliis evacuationum modis non potest: *Secundo*, quando *pericula*, nudam ejus *cohibitionem* insectantia, nequè securè præoccupari possunt, neque ubi in actum deducta sunt, sub *certitudine* aliqua *percurari* & in integrum restitui: de quibus utrisque rebus quid sperandum sit, nemo utique intelligit, nisi *periti practici*, peculiariter inquam, hujus negotii indolem, & *artis* circa illud *potestatem* edocti.

LIII.

Quid, quod etiam aliarum, quasi negligentiùs *adsvetarum*, *sangvinis evacuationum*, ingens ad conservandam sanitatem, & avertendas imposterum hinc pullulantes periclitationes morbidas, haberi debeat ratio. Ubi numerosissima certè occurrunt exempla, adolescentum atque juvenum, qui per æstivos menses non *frequentissimis* solum atque *promptissimis*, sed etiam *largissimis*, *narium hæmorrhagiis*, *diu* obnoxii; quamdiu hæc ita liberè imo verò liberaliter, revertuntur, atque succedunt, nullum incommodum, præter molestiam nudam, inde experiuntur. *Cessantibus* autem his, aut planè vi aliqua *cohibitis*, *dolores* & perturbationes *capitis*, *Vertigines*, *Odontalgias*, *Anginas*, *Gravedines*, jam *aridas*, jam *acres*, jam *contumaces* atque *diuturnas*, imo vel *habituales*, incurrunt: aut *Arthritodea* varia incommoda.

LIV.

Illud unum adhuc adjicimus, quod illi, qui etiam *ar-*

bitrariis evacuationibus Sangvinis per V. S. assveverunt, caveré debeant, ne iisdem *temerè* renuncient: & quidem non solùm *media* adhuc, sed ne quidem ipsa *provectiore* ætate: adeò, ut neque *septuagesimus* annus certum limitem hic constanter constituere possit, si reliquus corporis qualiscunque *vigor*, imo vel solum *tolerantia* probabilis, adhuc præstò sit: Cum certissimum alias sit, quòd non solum aliæ frequentiores, imò magis magisque etiam assiduæ, molestiæ, sed sensim etiam, imò variis modis, *periculosa* consectaria, certò hinc ingruant. Unde tales Patientes post hac non solùm perpetuis *valetudinis* suæ incommodis, sed insuper etiam pro *consiliis* & *auxiliis*, merè *palliativis*, & magis magisque etiam ad hunc scopum *irritis*, perpetuæ *contribuendi* necessitati, obnoxii evadunt. Quod iterum iterumque serio commendamus, non tumultuariæ, sed multis modis circumspectæ, & solertissimæ observationi, experientiæ invigilanti. Quod quidem etiam de *Cucurbitularum scarificatarum*, *Fonticulorum*, imo diutissime apertorum etiam *fortuitorum ulcerum*, prudente tractatione in ordine ad nudam *abolitionem*, intellectum volumus.

LV.

Sicut itaque, per dicta, *Diæta*, inprimis omnium rerum *non-naturalium* maximè verò *simpliciorum* & quasi absolutè *necessariarum*, modum justum atque moderationem involvit; inprimis autem *Assumendorum*, proxime *motuum* alacriorum, dehinc *Animi Pathematum* & ultimo *Excretionum*, & harum maximè intuitu, *Frigoris* immoderatioris: Ita absolvit eandem plenius, servanda æstimatio, ut, quæcunque *emollire* possunt corpus aut animum, aut *ordinem* agendorum repentê *intervertere*, aut præposterè evertere, evitentur: Potius autem parsimoniæ atque simplicitati in *Adsumendis*: *tolerantiæ* verò & activitati in *agendis*, corpus & animus adsvefiant. Sicuti certe ita *Consvetudo* illa minùs convenientium rerum, quæ tamen denique, vel ex improviso fatiscit, non magni facienda, licet neque repentino pavore timenda sit: Talium

lium

lium autem rerum, quæ *firmare* potiùs corpus, & animum stabilire possunt, *Adsvetudo*, omninò ut laudabilis haberi, imò moderatè atque ordinatè quæri, ac illi opera dari potest.

LVI.

Hæc de *universaliore Diæta*, ad instituti nostri rationem dicta, sufficere possunt; dum de *singularibus* ejusdem proportionibus, ad *peculiares* corporis alias dispositiones, non solum *extraordinarias*, sed etiam planè *morbidas*, singulatim verba facere, temporis nostri ratio non permittit. Si tamen etiam hæc ipsa à nobis ita tradita, decenter applicentur, ad quaslibet *speciales* occasiones; nempe, ut non solùm *simplicitas* in qualitate, & *moderatio* in quantitate, sed & inprimis *tolerantia*, tàm ab æstimatione *à priori*, quam à sensu & experimento *à posteriori*, pro regula assumatur atque retineatur; nullum profectò usquam remanebit dubium, quin ex hac etiam *generaliore* commentatione, utilissima *applicatio* ad species fieri possit.

LVII.

Superest autem illud unicum, omni utique prudente consideratione atque æstimatione dignissimum, quod bona *Diæta* „Medicis quidem subsidiis, accenseri seu *subordinari* atque in subsidium subrogari, passim debeat; Imò etiam in multis, neque quidem postremæ aut levissimæ periclitationis, etiam dubiis sanitatis inclinationibus, (ut de actualibus *morbis* nihil dicamus,) ita attemperari, ut etiam *sine artis ope*, œconomia corporis in justum suum ordinem ita restituatur: vicissim autem enormia, cumprimis autem repentina, *Diætæ vitia*, non solum in corpore sano tantas læsiones producere possint, ut *medicamenta*, illas vix, aut tardissimè, revocare valeant: sed in ipsis etiam morbis, tot atque tantas passim turbas edere, quas etiam *nulla ars* reparare possit. Nedum, quod inprimis malæ *adsvetudines* Diæteticæ, ejus utique sint indolis, ut etiam insolitum nulla *arte* compensari valeant. Quod ipsum, cum ita omnino se habeat; facilè indè liquere potest, quantæ dignitatis sit justa consideratio DIÆTAE, & quam

pru-

prudenter tàm *præservatorio* ſcopo, prudente conſilio, paſſim Patientibus commendanda: quàm in ipſis *curationibus*, etiam ad morbi, imò Naturæ, genium, utiliſſimè attemperanda: ut ita veritas eluceſcat antiqui illius effati, non poſtremi inter principes Medicos: *Multi magni morbi curantur Abſtinentia & Quiete.*

S. D. G.



VIta, Dies, Virtus, Pietas dant præmia multa
Quum ſolers animus cuncta beata capit;
Aſt quis non tribuat plauſus de munere magno
Quod Deus atque dies jam TIBI conſtituit.

Ita brevibus Honoratiſſimo Domino
Candidato applaudit

D. MICHAEL ALBERTI.



ARdua quando Tibi confertur cura medendi.
Det multis poſſis utilis eſſe Deus!
In Te ſit medico, ſemper, cariſſimè TOTTIN,
Præſentem languens experiatur opem!
Quod deeſt arti medicæ compenset IHOVAH!
Fruſtra ſic æger non petet artis opus.

D. CHRISTIANUS FRIDERICUS Richter,
Med. Pract.

GEORGII ERNESTI STAHLII,

MED. DOCT. AC PROF. PUBL. ORDIN.

PROPEMPTICON INAUGURALE

DE

CASIBUS MEDICIS PRACTICIS.





Ntiqua illa aſſertio, imò ſacra, *Nihil novum fieri ſub ſole*, quantumlibet aliena interpretatione velut in dubium adduci poſſe videri queat, certè tamen, ſi vel paulo laxiùs ſumatur, aut, abſtrahendo à purè *artificialibus* effectibus, de his potius, quæ *natura*, & mentis propenſione ſimpliciore, perpetrantur, tuetur omninò dignitatem ſuam, ut paſſim quidem *aliter* aliquid fieri, ſed non *aliud*, rem exquiſitiùs perpendentibus, ſatis diluceſcat. Quamvis autem etiam res *artificioſas* ex aliqua parte bono jure excipiamus, minime tamen illæ quoque ita ſimpliciter eximendæ ſunt ab hoc cenſu, quin paſſim ſatis clarè appareat, quod etiam *artificioſæ* res non omnes totæ quaſi primò *prodire*, ſed nudis *ſchematismis* variatis, denuò *redire*, agnoſci poſſint potius, quàm verè ſimpliciter novæ emergere. In rerum certè *materialium* republica, quæ ſecundum magnam illam σύςασιν, mutuis concurſibus, ſucceſſibus, cooperationibus, velut in ſcenam prodeunt, valet hoc certiſſimè, quod nusquam ſincerè *prodeant*, ut *novæ*, ſed *redeant* ſolùm, ut *de novo*. Et licet harum aliquæ etiam revera *rarò* obtingant, comparatis tamen inter ſe antiquis monumentis, ſatis paſſim diluceſcat, quod etiam jam à priſcis temporibus eadem facta ſint, aut planè hæc ipſa fuerint, ſed inventa ſolùm ſeriùs, aut animadverſa, *videantur* hoc reſpectu *nova*. Ut à generali latiſſimo ambitu, ad arctiorem complexum nos recipiamus, ſumemus nobis, tanquam

ſpecimen aliquod, vulgò ita nominatos *Caſus Medicos Practicos*. Uſitatum valdè eſt Doctoribus, ut collegia etiamtota, Philiatris proponant, *Caſuum* Médicorum; minime contemnendo ſtudio atque ſcopo, nec ita quidem ullo modo injuſta appellandi ratione: cum utique imperitis, aut nondum ſatis exercitatis, etiam illa *nova* videri neceſſe ſit, quæ vel quotidiè paſſim eveniunt: Pro qualibus eò melius excitandis & exercendis, omni modo longè aptiſſima eſt illa methodus, ut ipſis *Hiſtoriæ morborum*, ea ratione proponantur, ut tanquam in rem præſentem adducti, ſine præjudicio interim tertii, nempe Patientis, moram non ſine periculo laturi, conſiderent ſecurius, ſpeculentur, imo agnoſcant, quid è circumſtantiis eliciendum, quid primo, quid poſteriore loco, attendendum, quis primarius, quis ſecundarius affectus ſit. Interim, cum in his etiam rebus offenſio obtingere poſſit, quam evitare non magis utile ſit, quam neceſſarium, placet propterea de hac re aliquid proferre. Ante omnia videlicet ſervandam puto, jure meritoque diſcretionem illam, quid ſimplicis *hiſtoriæ* morborum nomine, & nihil coacta *enarratione*, dignius eſſe, & longe commodius ita tradi atque doceri poſſit: quid verò contrà, tanquam ex involuto quodam complexu eliciendum, proponere atque ſiſtere, expedire poſſit: & quibus maximè res tales ita proponi commodiſſimè debeant. Hôc enim mödô inſervit demum, *exercendis ingeniis*, methodus *caſus* proponendi, quando *hiſtorias* morborum directas atque ſimplices, ante omnia rectiſſimè cognitas habent; ut ita inter varias concurrentes fortè *accidentales* circumſtantias, tanquam enucleare & dijudicare diſcant, quid directè, quid per indirectum, quid *primariò*, quid *ſecundariò* & ut ex accidenti, fieri aut ſubeſſe agnoſcendum ſit: ut ita verum morbum dignoſcere, & ad illum intentiones ſuas dirigere poſſint. Quando verò perverſa methodó negotium geritur, ut *involuti* quaſi, *complicati* præcipuè magis, quã *comitati*, affectus, talibus ſiſtantur, qui ſingulorum veram & exactam indolem nondum intelligunt; fruſtra etiam eſſe omnem ſpem boni uſus, tanquam in propatulo eſſe arbitror. Deinde verò,

& tan-

& tanquam *secundo* loco, peſſundat ſæpenumero certe, uſum *caſtum* ita narrandorum, illud ingens præjudicium, quod Medicina hodierna nimis aliena ſit à cognitione & prudentisſima æſtimatione *decurſuum* & *eventuum morborum*, prout illi, etiam ſine omni poſitivo adjumento artis, ipſius *Naturæ* energia, ita in ordinem coguntur, ut illis ſuperatis, œconomia corporis ſuæ integritati reſtituatur. Qualibus methodis, mediis, viis, eventibus, hæc omnia procedant? Quid vero etiam *ars* verè & ſincerè hic poſſit, ab his naturæ methodis re vera diverſum, *meliùs*, inquam, illis, & ante omnia *paratiùs*. Ubi nempe, *tertiò*, cum *caſus* tales, communiter ut in ordine ad *Therapiam*, producantur; niſi benè diſcernatur, quid à *naturæ* poteſtate, quid ab *artis* præſidiis, ſperandum veniat, non poteſt unquam caſus talis ſolidè reſolvi, niſi morbus, non ut in caſu præſente ſeſe offerat: ſed ut in ſua indole ſeſe gerere jam certum eſſe debet, quò recte judicari, aut ad methodum medendi convenientem applicari, poſſit. Unde quidem, *quartò*, illud, quod *caſibus* hujusmodi, ſi non ſimpliciter finguntur, ſed è verâ obſervatione memorantur, multum certe difficultatis injicit, eſt ſæpenumero ipſa, alibi prægreſſa, alibi concurrens, *heteroclita tractatio artificialis*: Ubi deinde fieri non poteſt, quin veræ indoli morborum, ut *in ſe* exiſtere deberent, varia præjudicia eveniant, ex inſolitis phænomenis, per *inconditam tractationem* demum introductis: quæ ſæpenumerò non magis dignotionis promptitudinem morari, quam ipſum etiam morbum, ejusque juſtum & legitimum obſequium ad juſtam quoque curationem, variè diſponere poſſunt. Unde, ſi deinde tales *caſus*, ad finem usque enarrentur, rerum recte *peritis*, veluti in ſenſus incurrat, quod non tam *morbi*, quam inconditæ *curationis*, ille *caſus* habendus, peſſimè certè paradigmatis loco, ad imitationem proferatur. Cæterum autem, *quintò*, hujusmodi *caſus*, ſcriptis, directe & ſimpliciter *didacticis*, inſerere, quæ aliqui pro uſu tanquam particulari, *diſcendi* & ſeſe *exercendi*, uſurpare debeant, minimè juſtum eſt, & æquum. Interim, uti tales res etiam veluti ſemper denuò recoquere, certè odiosè ſupervacuum eſt, (loquor autem de publicis enar-

 ratio-

rationibus;) ita tantò magis ineptum certe est, hujusmodi res non tam è *media* potius *quotidiana praxi* arcessere & ad illam provocare: quam ex aliquot Authoribus similes historiolas conquirere, & prolixè, non allegare, sed transscribere. Sicut enim certè stupidè stolida esset ambitio, ex hujusmodi industria, prolixæ *eruditionis* existimationem aucupari: cum *Moroni* Directorium, *Lipenii* Bibliotheca, *A. N. C.* cum operosis passim suis *scholiis*, ne Tironibus quidem amplius tam parum nota sint, quin notissimum habeant, quod ad istorum ductum & indicia, nulla ulteriore *arte*, sed solo *otio*, & describendi *patientiâ*, opus sit: quibus subsidiis suppetentibus, etiam inertissimus de reliquo quilibet, hujusmodi res consarcinare possit. Quod autem ad *rariores* casus attinet, servandum certè etiam circa illos est prudentissimum judicium, ne vel contrario usui adhibeantur, nempe *ordinariis* morborum historiis stabiliendis: vel ex adverso, tanquam peculiari commemoratione digna reputentur, & tanquam *rariora*, æstimentur, talia, quæ potius ex *universali Experientia*, vere innumerabilium exemplorum quotidianorum, & vulgo quoque hominum satis notorum, manifestissimè, maxime verò *simplicissimè*, citari quã maxime possent: & insuper quidem ita demum etiam quam maxime sincera exempla exhiberent, nempe solâ *perversa* forte tractatione deformatorum morborum. Difficultas summa quæ impediat, ne hujusmodi casuum pertractationes, tali decente ratione perpetuò adornentur, imo potius vel nunquam propemodum ita uti conveniebat, instruantur, est utique primò omnium, portentosa illa quidlibet, circà *historiam* æquè, atque mutuam *conspirationem morborum* opinandi, imò *fingendi*, licentia. Ex hac enim prognascitur utique versipellis illa, affectûs non solùm alieniùs interpretandi, sed omninò, per falsam præconceptam opinionem, etiam simpliciter observandi, & exquisitè *enarrandi*, alienatio: Et hinc etiam, quarumlibet potius aliarum, quam *verarum* concurrentium causarum, animadversio. E quibus interim rebus, quantum damni non solùm in morborum, sed etiam curationum, per *Fallaciam Non Causæ ut Causæ, historiam*, ingruant damna & offendicula, &

pas-

passim etiam falsæ opiniones, de *efficacia medicamentorum* & *methodorum*, quando propriæ *declinationi* morbi salutari talia adhibentur, & ita, (uti certe rectè ridet vulgus, Das letzte hilfft/) quod revertenti sanitati tanquam obviam missum est, illam restituisse creditur: hæc inquam facile est cordato æstimatori comprehendere. Unde quidem omnibus modis dignum esset, ut etiam hujus generis otiosæ, tanto magis autem vanæ, enarrationes, intra cancellos coërcerentur, & veritatis potiùs simplicitati, quam intricandis hujusmodi tricis, opera navaretur.

Differere hæc libuit per occasionem publicæ commendationis, quam à nobis postulat

DN. JUSTUS TOTTINUS,

Mitaviâ Curlandus.

NAtus hic in modo nominata Ducatus Celeberrimi Metropoli, Patre Viro Nobilissimo atque Amplissimo DN. JUSTO TOTTINO, Senatore urbis spectatissimo: Matre virtutibus sexum suum ornantibus laudatissima, ANNA MARGARETHA Windhorstin/ honestissimi viri mercatorii ordinis filia. Ab his Parentibus optimis, non solum ad optimos mores ab ipsis cunis, post pietatis studium, solicitè formatus, sed etiam optimis studiis dicatus atque destinatus a puero, privatorum Informatorum curæ præcipuè commendatus est: Adultior autem jam Scholæ Publicæ Celebri hujus urbis commissus. Tandem Anno 1700. Thorunium transmissus, florenti ibi adhuc Gymnasio adscriptus, philosophicas disciplinas coluit: Post biennium Regiomontum profectus, per anni forte spatium, Jurium studio animum applicuit. Proximo autem anno ad Illustrissimam hanc Regiam Fridericianam transmissus, mutato, cum Charissimorum tamen Parentum consensu, & Amicorum prudentum svasu, proposito, Medicam Artem comprehendere aggressus est. Eumque in finem Excellentissimi DN. D. HOFFMANNI quidem Collegium Experimentale Physicum Curiosum, & Commentationes atque Præmonstrationes

nes

nes Materiæ Medicæ audivit; Mea vero Collegia Anatomico-Physiologicum, Pathologicum, Practicum repetitum, Chirurgicum, & Chymicum, omni cum industria percepit. Privatam etiam instructionem suscepit ab Experientissimo DN. D. GOHLIO, qui ipsi dictatas quondam a me Theses in omnes partes Medicæ Doctrinæ, vulgo Cursum Medicum vocant, diligenter explanavit. Præterea verò publicè etiam laudat benevolentiam atque facilitatem Experientissimorum Fratrum DNN. RICHTERORUM, Medicinæ Doctorum: qui non solum ad Collegium Practicum privatius olim habitum, sed etiam in Officinam Pharmacevticam Orphanotrophæi instructissimam aditum, ipsi liberum concesserint: Quin etiam comitem ad visitandos ægros bene numerosos, passim adsciverint, unde clinicam morborum historiam comprehendendi, optimam occasionem obtinuerit. Tandem Anno 1707. in patriam reversus, & ibi quoque ad praxin, quantum occasio ferebat, attentus, annuo propemodum spatio, cum bonos, assistente DEO, successus experiretur, hortantibus propinquis ad prosequendam serio ipsam praxin converso animo, Honores etiam & Immunitates in Arte Summas adsequi animo proposuit. Reversus ita ad nos, Facultati nostræ desiderium hoc suum decenter aperuit, cumque nulla esset causa quamobrem ipsi deesse deberemus, aditum ad consveta examina merito impetravit. In quibus cum profectuum suorum laudabiles exhibuerit fructus, meritò ipsi ultimi etiam speciminis publici Inauguralis potestatem fecimus, hoc cum editurus sit Disputatione solenni, de DIÆTA, proximis Calendis Sept. ad hunc Actum Solennem SERENISSIMUM PRINCIPEM SAXONIÆ Magnif. Pro-Rectorem, reliquosque Illustrisimos, Illustres, Maxime Reverendos, Excellentissimos, Generosissimos, Nobilissimos atque Doctissimos, Academiæ nostræ Proceres, Fautores, Cives, pro officii ratione, cum omni honore debito atque observantia invitamus. P. P. Dat. Halæ Magdeburg. die XXVI. Augusti, MDCCIIX.

(L. S.)